

gaut alios opiniones plus nimio rigidas sequi *edificant ad gehennam*, id est, sunt causa quod multae animae damnentur, quae hujusmodi opiniones sequi debere sibi persuadent, quas postea non sequendo miserandum in modum damnantur. Finem huic opusculo impono. Ego pluribus abhinc mensibus detineor lecto quadam prae infirmitate, quae verisimiliter me brevi luce privabit. Communiter aiunt, quod omnes homines alio modo loquuntur in vita, alio in morte, quia in morte sentiuntur illi conscientiae stimuli, qui non perci-

piuntur, seu, ut melius dicam, non volunt percipi in vita. Ego tamen nullis prorsus conscientiae stimulis exagitor prae meo, quod propugnavi circa probabile, systemate; immo religioni mihi esset contrariam tenere sententiam quoad aliorum instructionem quorumdam modernorum auctorum. Dixi *quoad aliorum instructionem* juxta consilium s. Joannis Chrysostomi: *Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. In Can. Alligant. 26. qu. 7.*

TRACTATUS II. DE LEGIBUS

CAPUT I.

DE NATURA LEGIS.

1. 2. *Divisio legis.*
3. *Conditiones.*
4. ad. 8. *Promulgatio.*
9. 10. *Acceptatio.*
11. *Si lex per decennium non esset acceptata.*
12. et 13. *Si major pars non acceptet, etc.*

1. Definitur lex: recta agendorum ratio. Lex non differt a praecepto, nisi in eo quod lex datur communitati, praeceptum particularibus dividitur lex in aeternam, naturalem, et positivam. Lex aeterna est ratio divinae sapientiae, quae praescribit hominibus regulas operandi ad illius observantiam. *Naturalis* est eadem ac aeterna: dicitur enim aeterna, in quantum tradita est a Deo; in quantum vero consideratur ut hominibus manifestata lumine naturae, naturalis appellatur, ad quam pertinent omnia decalogi praecepta. Lex *positiva* est illa, quae non dictatur a natura, sed legi naturae est conformis, et in hoc praesertim ab illa discrepat, quod prohibita a naturali, ideo prohibita, quia mala; prohibita vero a positiva, ideo mala, quia prohibita.

Positiva praeterea dividitur in divinam et humanam. Ad positivam divinam pertinent omnia veteris testamenti praecepta caeremonialia et judicialia, quae postea morte Jesu Christi cessarunt, remanentibus firmis tantummodo moralibus, quae praecepta decalogi nominantur. Ad eam quoque pertinent omnia praecepta novi testamenti circa sacramenta. Positiva autem humana subdividitur in legem gentium (quae jus gentium nuncupatur) in ecclesiasticam, et civilem.

2. Lex gentium est illa, quae cum consensu omnium gentium condita et recepta est, ut sunt, v. g. lex ut bellum sit justum, lex ut bona directum dominum non habentia sint primi occupantis, et his similes. Lex ecclesiastica est illa, quae ordinata est ab Ecclesia propter gubernationem spiritualem reipublicae christianae, et illa complexa est in decretalibus et sexto decretalium, in clementinis, et extravagantibus, et in omnibus aliis bullis pontificiis quae obligant absolute omnes fideles. Canones vero in Gratiani decreto collecti aliam obligationem non inducunt, quam quae ipsismet insita est. Lex civilis deni-

que, quae a principibus sancita est ob bonam populi temporalem gubernationem, et haec diversa est pro diversitate locorum. Lex civilis complectitur digesta, instituta, codicem, authenticam, sive novellas.

3. Conditiones legis, ut obliget, haec sunt: 1. ut sit *honestas*, nempe ut sit religioni conformis; 3. *justa*, ut non laeda: subditorum jura; 3. *possibilis moraliter*, nempe ut non sit nimis observatu difficilis, locorum et temporum ratione inspecta; 4. *utilis* bono publico, et ut bonum sit notabile; 5. *necessaria* ad prospiciendum malo, quod frequenter accidit; *manifesta*, nempe clara, ut habetur *cap. Abbate, de verb. signif., ne per obscuritatem captionem contineat*, et ut loquitur s. Isidorus *can. 2. dist. 4.* Secus cum lex esset obscura, posset dissimiliter exponi, et cum possit erroris esse causa, potius officeret, quam prodesset.

4. Demum ut lex obliget debet esse *promulgata*, ut communiter omnes dd. cum s. Thoma (1), et Scoto (2), ex *can. In istis, distinct. 4.*, ubi legitur, *Leges tunc constitui, cum promulgantur*. Propterea jure merito Doctor Angelicus dicit *loco cit.*, quod lex nihil aliud sit, quam *ordinatio promulgata*. Ratio est, quod eum lex sit regula communis secundum quam toti communitati vivendum est, non potest illa communiter observari, nisi saltem in majoris communitatis partis venerit notitiam (3).

5. Hinc est quod leges caesareae, et principum (saltem in aliquibus imperatori subjectorum) licet supremorum, debent promulgari in qualibet provincia, seu civitate metropolitana. Et haec leges non obligant, nisi post duos menses a promulgatione, ut habetur in *authentica, Ut factae novae. Coll. 5.*

6. Dubitatur hic 1. An leges pontificiae, et aliorum principum ab im-

(1) l. 2. q. 90. a. 4. — (2) Scoto dist. 3. q. 4. a. 2. — (3) Vide l. 1. n. 96. —

peratore independentium, ut obligent, debeant in qualibet provincia promulgari *Prima sententia* affirmat, et hanc tenent plures auctores graves, ut Becanus, Natalis Alexander, P. Collet, Continuator Tournely, Cabassutius; et eam probabilem vocant Sylvius, Anacletus, Roncaglia, et alii cum Angelo, et Medina. Citatur pro hac sententia quoque Cajetanus, sed Cajetanus aliud non dicit, quam leges canonicas non obstringere ignorantes. Citatur etiam Lessius, sed Lessius loquitur de legibus contractus irritantibus. Citatur etiam Sotus, sed Sotus loquitur potius de legibus inhabilitantibus, aut revocatoriis privilegiorum (4). Fautores hujus primae sententiae, praecipue fondantur super *authentica* mox supra allatam, *Ut factae novae*, dicentes quod ubi specialis dispositio legis canonicae non adest, servanda est civilis, prout deducitur ex *cap. 2. de nov. op. nunc.* in quo sic habetur; *Sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur*. Dicunt praeterea nimis durum esse, obligare totius christiani orbis fideles ad leges tantum Romae publicatas. Sed adhuc juxta hanc primam sententiam excipiendae sunt Bullae insertae in Bullario, istae enim sunt in corpore legum et in hoc omnes conveniunt, prout testatur Cardinalis Petra (5). *Secunda* vero sententia valde communior, et probabilior negat, docetque leges pontificias, et principum imperatori non subjacentium, obligare per solam promulgationem, quae solet fieri Romae, vel in principis metropoli; ita Suarez, Bonac. Layman, Azorius, Castropal. Cardenas, Ferraris, et Salmanticenses, Valentia, Navar. Me-

(4) Becan. de leg. qu. 5. n. 5. Natal. Alex. theol. 1. 4. a. 3. reg. 25. Collet. 1. 2. de leg. sect. 4. p. 14. Cabass. Theor. jure l. 1. c. 4. n. 4. Sylv. 2. in l. 2. qu. 96. ar. 4. quaer. 11. concl. 4. Less. 1. 2. c. 22 n. 98. Sot. de Inst. 1. 1. q. 1. a. 4. et vide l. 1. n. 96. v. 11. Not. — (5) Card. Petra in praemia §. 4. n. 50 et 54.

noch. Vasqu. Pontius, Salas, etc. (1) Ratio, quam adducunt, hæc est: Non dubitatur quin lex ut vim habeat obligandi debeat esse promulgata, ut per promulgationem possit ad notitiam subditorum pervenire; sed circa modum promulgationis, hic modus ab arbitrio, et attentione legislatoris pendet. Hinc observavi quod inter omnes doctores etiam oppositæ sententiæ, nullus est qui neget (prout testantur pro certo Salmanticenses) non esse opus de sua natura, quod lex, ut obliget in qualibet provincia publicetur, sed satis est, quod in legislatoris curia promulgetur; et in effectu scribunt Salmanticenses, quod in Hispaniarum regnis regiæ leges, eo quod tenetur rex leges cæsareas servare, tantum Matrili promulgantur. Sicque similiter plurimæ Bullæ pontificiæ, juxta receptum usum, tantum Romæ locis ibi destinatis promulgantur, atque juxta hujusmodi constitutiones deinde omnes ecclesiasticæ causæ judicantur. Contra vero apostolica Sedes, casu quo nolit aliquam legem obligare, nisi post publicationem in provinciis peractam, id expresse declarat, prout declaravit in interdicto ab Ecclesia imposito a Concilio Lateranensi IV. adversus medicos, qui infirmis assistunt, priusquam illis Sacramentum Pœnitentiæ susceperint, ut habetur in *cap. Cum infirmitas, de pœnit. et remiss.* Et sic pariter id expressum fuit in Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 1.* circa matrimonii clandestini invaliditatem.

Hoc posito, cum papa determinat Bullas tantum Romæ promulgari, minime verisimile est, quod ipse non intelligat alias provincias, sed solam romanam obligare; cum enim Ponti-

(1) Suar. de leg. 1. 3. c. 16. n. 8 Bonac. de leg. D. 4. qu. 1. p. 4. n. 46 vers. Concedo, etc. Laym. 1. 1. tr. 4. c. 3. n. 4. Azor. p. 1. l. 5. c. 3. vers. In hac quæst. Castrop. de leg. tr. 3. D. 1. p. 11. n. 4. Carden. in 1. Crisi D. 9. c. 20. ar. 12. Ferrar. Bibl. tom. 4. verb. Lex, ar. 2. n. 5. Salm. tr. 11. de leg. c. 4. ex. n. 85.

fex solos Romanos obstringere vult, condere particularia solet edicta (et hæc italico idiomate conficit); sed generalia condens statuta pro tota Ecclesia, eaque solemniter promulgans clausulis obligatoriis, procul dubio præsumendum est velle omnes obligare fideles, statim ac ipsis Bullarum pervenerit notitia; quæ facile est, ut e Roma ad alia regna perveniat; nam omnes fere nationes Romæ conveniunt, omnesque Prælati (præsertim remotiores) ibi suos agentes habent, qui ordinarie de constitutionibus recenter promulgatis eos certiores faciunt. Præterea, quod leges pontificiæ obligant statim ac solemniter promulgantur, id clare eruitur ex *cap. 1. Ad hæc, de postul. prælat.* Ubi dicitur: *Non sit necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum inculcare; sed solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam.* Notentur verba, *solemniter editam aut publice promulgatam.* Qui igitur certam habet notitiam alicujus Bullæ jam solemniter Romæ promulgatæ, illam equidem observare tenetur. Idem deducitur ex *cap. Quia cunctis 1. §. Nec obstaret, de concess. præbend. in 6.* ubi habetur: *Lex seu constitutio, vel mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare minime debuissent.* Quisque ergo illas servare debet leges, quorum notitiam habuit, cum promulgatæ jam fuerint, modo quo legislator eas promulgare valet. Certumque est posse Papam ad suas Bullas observandas omnes fideles adstringere per solam promulgationem Romæ factam, prout quivis princeps (juxta id quod supra vidimus ab omnibus admitti) per solam publicationem in sua curia peractam cuncta sua regna ad ipsius leges obligare potest.

7. Illud vero quod magis nostram sententiam confirmat, sunt duæ clausulæ, quæ apponi solent in his Bullis, quæ Romæ promulgantur, et locis consuetis affiguntur. Una ex clausulis ita dicit: *Ut autem præsentis litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat; volumus illas ad valvas, etc. affigi et publicari, sicque publicatas omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.* Altera clausula dicit: *Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeantur observantia, ac si unicuique forent exhibitæ, vel ostensæ.* Hæc autem clausulæ ostendunt quidem pro certo mentem Pontificis esse, velle omnes fideles adstringere ad hujusmodi statuta servanda, independentem ab eorum publicatione in particularibus provinciis. Et Sylvius, ac Roncaglia locis supra citatis, et si primam sententiam ut probabilem admittunt, attamen habent pro certo, omnes Bullas Romæ cum prædictis clausulis publicatas obligare per se sine alia publicatione. Ceterum recte ait Roncaglia, quod ex relatis verbis talium clausularum firmum argumentum adduci potest pro primæ sententiæ probabilitate respectu ad Bullas, in quibus præfate clausulæ desunt; nihil etenim in legibus frustra appositum supponi debet; illæ autem clausulæ prorsus superflue essent, si omnes Bullæ Romæ publicatæ etiam sine prædictis clausulis ante quameumque publicationem in provinciis obligarent; dummodo (excipit) in aliquo loco non addesset consuetudo recipiendi indifferenter Bullas Romæ quocumque modo publicatas. Quærit autem Sylvius, loco supra

citato *litt. d. vers. Petes*, an Episcopi teneantur promulgare, aut operam dare ut omnes leges pontificiæ observentur, quæ jam Romæ promulgatæ fuerint? Et sic respondet: *Teneri curare, ut observentur, quando Pontifex significat se velle, quod sua lex ubique obliget etiam absque alia promulgatione ibi facta. Non tenentur tamen curare, ut promulgentur, nisi vel mandatum pontificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter judicent promulgationem in suis diocæsi-bus esse necessariam. Nihilominus qui legis notitiam habent, ad ea obligari videntur, nisi illa recepta non fuerit, vel per non usum ejus obligatio desierit. Ceterum si Pontifex non significet, non esse opus alia promulgatione, neque mandatum dirigat ad Ordinarios, probabile est quod ipsi non tenentur legem promulgare, vel curare ut observetur, nisi fructum notabilem ex talis legis promulgatione in suis diocæsi-bus expectent. Possunt enim tunc interpretari mentem Pontificis esse, quod lex in diversis provinciis tunc observari, vel promulgari curetur, quando Ordinarii existimaverint ita esse pro suis locis expediens et utile.*

Præterea probabiliter censent Suarez, et Layman (1) cum Molina, et Soto, quod leges pontificiæ, quæ aliquem infirmant contractum de sua natura validum, sicut fuit Bulla s. Pii V. circa contractus censuales, aut quæ auferunt jurisdictionem, v. gr. in Sacramento pœnitentiæ; circa has potest benignè interpretari, mens Pontificis esse, molle eas effectum habere, nisi postquam in diocæsi-bus promulgatæ fuerint; alioquin ipsæ in damnum redundarent plurimorum, qui illas invincibiliter ignorarent. Oppositum autem tenendum est quoad pœnas inflictas contra clericos male ordinatos, et Episcopos male ordinantes, prout Sixtus IV. declaravit. Sic etiam oppositum te-

(1) Suar. de leg. 1. 5. c. 33. n. 8. Laym. cod. lit. c. 2. n. 7. cum Molina et Soto.

nendum quoad leges irritantes aliquem actum ex defectu solemnitate; quia leges postquam vim obligandi habuerunt, valent etiam respectu ignorantium, ut inquit Sanchez, et Layman cum Navarr. et aliis (1).

8 Dubitatur 2. An tempus duorum mensium requisitum ut leges cæsareæ post earum promulgationem obligent (sicut supra dictum est num. 5.) etiam quoad leges pontificias, et aliorum principum requiratur. Alii negant; sed probabilissime affirmant alii plures graves dd, ut Sotus Valentia, Sa, Silvester Bonac., Tapia, Menoch., Reginald., Granado cum Salmant. et aliis. Ratio est, quia jam requiritur, ut ad communitatis notitiam leges perveniant, ut exprimitur in cap. 1. de concess. præb. in 6., ubi hæc leguntur: *Lex et mandatum nullos adstringunt . . . nisi post tempus intra quod ignorari minime debuissent.* Quare, cum in lege non præfigitur tempus, taxandum est prudentum determinatione, quæ est jam facta in præfata authentica, *Ut factæ novæ*, ne quis dictum tempus temere pro arbitrio suo protrahat (2).

9. Dubitatur 3. An ut lex obliget, debeat esse a populo acceptata. Nulli dubium est quin peccent illi, qui non acceptant leges tam ecclesiasticas, quam civiles. Si sunt justæ, ut habetur ex 28, ex proscriptis ab Alexandro VII. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* Sed dubium fit, an obliget lex nondum acceptata. In hoc discernendæ sunt leges civiles ab ecclesiasticis. Quoad civiles, dicunt nonnulli, illas non obligare, nisi sint acceptatæ, quia principes a populo potestatem leges condendi recipiunt; ita Valentia, Becan., Navarr., Azor., Bonac., et hanc probabilem vocant

(1) Sanch. de matr. 1. 3. D. 17. n. 9. D. 42. n. 2. Laym. loco mox supra cit. — (2) Ibid. v. Quæst. 2. et Salm. tr. 41. de leg. c. 4 n. 91 et 92.

Salmant (3), et Croix (4); sed oppositum probabilius defendunt plures alii, ut Suarez, Pontius, Laym., Sylv., Dian. et alii (5), dicentes, legem superioris, si justa est, ex semetipsa obligare. Quoad vero leges ecclesiasticas nemo est qui dubitet, quin pontifex possit obligare fideles independentem ab eorum acceptatione, cum certum sit, papam legislativam potestatem non a populo accepisse, sed a Jesu Christo, qui ei dixit in persona s. Petri: *Pasce oves meas etc.* Quodcumque ligaveris super terram etc.; idem procedit pro legibus quas statuunt episcopi in suis diocesisibus, qui etiam a Jesu Christo vel mediate, vel immediate (ut dicitur n. 33. circa finem), talem receperunt potestatem.

10. Hoc non obstante dicunt dd., ut Valent., Filliuc., Covar., Bonac. et alii, cum Cabass. spectare ad suave regimen ecclesiæ, ut non obligent fideles eæ leges quæ ab ipsis non sunt receptæ; sed nos libentius ad hæremus oppositæ sententiæ Suar; Laym., Castrop., Salmant. etc., ratione superius tradita, nempe quod subditi obedire tenentur, cum præceptum est justum; nec tunc præsumi debet superior, ne populus perturbetur, velle eum a præcepti obligatione eximere.

11. Nihilominus prædicta sententia limitatur 1., si lex per decennium non fuerit acceptata, ut dicunt dd. communiter, imo etiamsi aliquando fuerit acceptata, deinde vero per decennium continuum in desuetudinem abierit, probabile est amplius eam non obligare, ut tradunt Lessius, Azor., Nav., Castrop., Sa etc., et non improbabilem eam vocat Bened. XIV. de syn. l. 13. c. 5. n. 4. (contra alios, qui volunt desuetudinem per 40. annos.) Nam ita de legibus civilibus jam dispositum est, nec pro ecclesiasticis contraria in-

(3). Salm. de leg. c. 4. n. 101. — (4) Lib. 1. n. 591. — (5). Ap. Salm. de leg. c. 4 n. 102.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE QUAM INDUCIT LEX.

venitur dispositio; et canones, qui contra afferuntur, requirentes præscriptionem 40. annorum, loquuntur de bonis immobilibus, et de juribus realibus ecclesiæ, sed non jam de legibus. *Secus quippe* (ait cit. Bened. pro sententia Suarez) *lex lata a romano pontifice non posset abrogari, nisi per consuetudinem 100 annorum; tantum enim temporis requiritur ad præscribendum contra bona et jura ecclesiæ romanæ: ita ratiocinantur Less. . . Lugo, Panorm., alique ab his citati.*

12. Limitant 2. Suar., Lessius, Castrop., Tapia, Salmant., Busemb. etc., si major et sana pars populi non receperit legem, quia tunc licet desuetudo non adhuc sit præscripta, et primi legem non acceptando peccaverint, nihilominus alii non tenentur ad legem observandam præsumendo, principem non instando pro observantia, nec transgressores puniendo, nolle obligare quemlibet ad observandum præceptum, quod a majori parte non observatur (1). Dictum est alii: quia quamdiu lex non est præscripta, non ita judicatur de illis, qui contra legem usum introduxerunt, ut bene advertit Castrop. (2).

13. Limitant 3. Salas, Castrop., et Suarez (contra alios), si lex sit contraria consuetudini quæ viget, vel sit difficilis observantia. Sed Salmanticenses rationabiliter admittunt dictam opinionem in solo casu quo essent eæ circumstantiæ, quæ si a principe præcognitæ essent, legem non tulisset (3). Si vero populus supplicasset pro revocatione, et princeps non instaret pro observantia, probabiliter præsumitur, non velle tunc legem obligare, ut dicunt plures auctores (4).

(1) Vide lib. 1. n. 439, v. Lim 3. — (2) Tract. 3. D. 3 p. 2. §. 4 in fin. — (3) Lib. 1. n. 439. v. Limitant. — (4) N. 439. v. Quær. hic.

14. 15. et 16. *Obligatio legum præceptivarum.*
17. *An lex possit præcipere actus internos.*
18. *An cum gravi incommodo.*
19. *An lex possit naturalem obligationem tollere.*
20. et 21. *An teneamur remove impedimenta.*
22. et 23. *Dubia circa leges.*
24. et 25. *De legibus pœnalibus, spiritualibus, privativis, et inhabilitantibus.*
26. *De fundatis in falsa præsumptione.*
27. *De conventionalibus.*
28. *An necessaria charitas.*
29. *An intentio.*
30. et 31. *An satisfieri possit pluribus præceptis pluribus actibus, vel unico actu.*
32. *An possint esse plura præcepta super eadem materia.*

14. Oportet discernere leges præceptivas a pœnalibus. Pœnales sunt illæ, quæ non obligant ad culpam, sed solum ad pœnam adjunctam. Præceptivæ autem obligant ad culpam, et in conscientia, sive illæ sint ecclesiasticæ, sive civiles, modo istæ non fuerint correptæ a jure canonico, ut in opere probatum est (5). Leges mixtæ autem sunt illæ quæ obligant tam ad culpam, quam ad pœnam, sed istæ enumerantur inter præceptivas; quare hic loquemur, 1. de præceptivis; 2. de pœnalibus; 3. de modo quo observandæ sunt leges. Et 1., loquendo de lege præceptiva, illa obligat ratione materiæ gravis, aut levis. Potest nihilominus legislator, secundum sententiam probabiliorem, etiam in materia gravi sub levi obligare (6); sed non potest in materia levi sub gravi obligare, nisi gravis esset finis intentus, aut transgressio ob scandalum, aut ob commune damnum, aut ob contemptum redderetur gravis. Contemptus

(5). L. 1. n. 106. v. Quæritur 3. — (6) Lib. 1. n. 443.

autem, ut sit gravis, debet esse formalis; qui tunc est, cum aliquis ideo transgreditur legem, in quantum illi non vult se subicere, non autem cum eam violaret ob incuriam, iram, aut aliam animi affectionem, *etiamsi frequenter peccatum iteret, ut docet s. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3.*

15. Signa, quibus discerni potest, an lex obliget sub gravi, sunt: 1. Si materia est gravis in seipsa. 2. Si consuetudo ita interpretata est. 3. Si ita verba significant; v. gr. precipimus sub gravi, aut in virtute sanctæ obedientiæ, omnino, inviolabiliter, et similia. Ceterum, verba simpliciter imperativa, *volumus, precipimus, facite, abstinete*, et alia id genus, sunt ambigua; propterea ex circumstantiis arguendum erit, an sint præceptiva, an hortatoria. 4. Si præcepto addatur pœna gravis, v. g. exilii perpetui excommunicationis, irregularitatis, interdicti ad omnem usum, suspensionis totalis, aut ab officio, et beneficio ad tempus notabile. Hoc tamen intelligitur si censuræ sunt *late sententiæ*; secus si *ferendæ*, juxta opinionem probabilem (1).

16. Dubitatur 1. An in casu, quo lex assignat pœnam, et una simul præcipit, obliget ad culpam. Nonnulli id negant, si non exprimitur. Ita dicunt Cajet., Gomez, et alii cum Navarr. (2), qui ait: *Leges humane etiam precipientes, quæ pœnam temporalem constituunt, in dubio ad æternam non obligant, quatenus sunt leges ejus, qui pœnam statuit.* Idque putant satis probabile Valent., Bonac. Tapia, et alii cum p. Mazzotta, qui citat etiam pro hoc Filiucium. Ratio, quam adducunt, prima, quia non præsumitur, quod princeps velit ad culpam obligare, cum sufficiens sit pœna ad frænum subditis imponendum, secunda, quia dicunt, sic a consuetudine has leges mixtas interpretari. Sed alii probabilius affirmant, quia in hoc differt (ut dictum jam est)

(1). L. 1. n. 144. — (2). Navar. Man. c. 23. n. 53. et 60.

lex pure pœnalis a mixta, quia illa obligat ad solam pœnam, hæc ad utrumque, alias legislator frustra pœnæ adjecisset præceptum. Ita Valent., Bon., Tap., Diana, Salm. etc. (3). Observa dicenda *tract. X. n. 81.*

17. Dubitatur 2. An leges humane possint præcipere actus internos? Directe non possunt, quia solus Deus potest judicare de internis. Possunt tamen indirecte, cum actus internus necessarium habet connexionem cum externo; v. g. ecclesia, præcipiendo annualem confessionem, præcipit quoque dolorem et propositum, sine quibus non consistit confessio: præcipiendo firerim matrimonium, præcipit consensum: conferendo parochiam clerico, præcipit, ut eam ipse acceptet animo infra annum ascendendi ad sacerdotium. Quoad autem actus externos, licet occultos, nulli dubium est, quin lex possit eos universaliter præcipere, aut prohibere, prout imposuit excommunicationem hæresi occultæ externata et homicidio occulto irregularitatem (4).

18. Dubitatur 3. An cum gravi damno aut incommodo teneatur quis ad observandam legem humanam. Communiter dd. negant, præter duos casus. 1. Si legis observatio sit moraliter necessaria bono publico quod semper bono temporali privato præferendum est. 2. Si transgressio legis redundaret in fidei aut ecclesiæ contemptum. Ita communiter dd.

19. Dubitatur 4. An lex humana possit tollere naturalem obligationem, ut est lex irritans testamenta, aut contractus initos sine solemnitatibus; aut lex deobligans filium familias a solvendo mutuo. Et affirmamus cum probabiliori Sanch., Castrop., Salmant. etc., quia lex humana ob commune bonum a Deo obtinuit potestatem rerum dominium transferendi: licet contraria etiam sit probabilis (5).

20. Quæritur 5. An teneamur
(3) L. 1. n. 147. (4) L. 1. n. 400. — (5) Lib. 3. n. 744. 757. et 927.

auferre impedimenta proxima, quæ obstant legis executioni. Hic sermo est de lege humana (aliter procedit de lege naturali), et distinguendum est. Apponere aliquam causam, qua quis subtrahitur a legis obligatione, est licitum: quare si bodie est festum, licite potes alio peragere, ubi dies festus non agitur: et ab audiendo sacro te eximere. Apponere autem causam non extrahentem, sed tantum deobligantem aliquem a lege, non licet. Hinc qui sine justa causa aliquem laborem assumit, quo impotens sit ad jejunandum, peccat, et quidem non solum si ideo laborat ut eximatur a jejuniis, sed etiam si laborat prævidendo exemptionem: quia omnis lex exposcit, ne sine justa causa impedimentum suæ observantiæ ponatur. Hæc est sententia s. Thomæ (1), quam nos cum Laym., Sanch., Mazzotta, et Castropalao (qui eam communem appellat), contra Salmant. et alios, sequimur. (2)

21. An autem excommunicati et in carcere detenti teneantur curare, ut absolvantur, aut e vinculis liberentur, quo possint adesse sacro: communiter negant, quia hujusmodi impedimenta sunt remota. Sed isti etiam peccant, si ideo non curant liberari, ne teneantur sacrificio adesse. Imo probabiliter dicunt Bonac. et Trullench., quod si ipsi facile possunt liberari, nec excusantur, quia cum levi incommodo tenemur impedimentum remove, ut præcepto gravi, etiamsi humano, satisfaciamus (3). Proculdubio autem supradicti tenentur procurare ut liberentur, ut præceptum paschale, quod quidem divinum est, adimpleant (4).

22. Dubitatur 6. An sit obligatio observandi legem, si hæc, aut ejus obligatio dubia est. Respondetur negative. 1. Quando dubitatur ad sit nec ne lex, et facta diligentia, dubium perseverat (ut dictum est de

(1) 1. 2. q. 71. a 5. — (2) Vid. lit. 3. n. 4045, et 4046. — (3) L. 3. n. 325. Excommunicatus. — (4) Vid. lib. 7. n. 461.

conscientia *tract. I. n. 15. et 33.*)

2. Quando dubitatur, an aliquid comprehendatur nec ne in lege, aut si inceperit nec ne ejus obligatio, ut dicunt Suar., Sanch., Castrop., et Salmant. cum Tapia, Villalob. (5). Et idem dicunt dd. citati, cum dubitatur, an lex promulgata sit nec ne (6).

23. Contra vero debet observari lex. i. cum dubitatur an recepta sit, quia cum constet de lege, pro ea stat possessio, cum enim etiam pro lege stet præsumptio quod sit, ut debebat, acceptata; hæc est sententia probabilior cum Sanch., Castrop., et Salmant., contra alios (7). 2. Cum dubitatur, an legislator sit legitimus superior, qui tamen est in possessione suæ jurisdictionis. Excipiunt Sotus, Sanch., Tapia, Salas, Lopez etc., casum, quo esset nociva aut valde molesta res præcepta (8). Cum dubitatur, an lex sit injusta, quia in dubio superior est in possessione juris præcipiendi (9). Sed id pariter communiter limitant dd., si præceptum esset subditis damno, aut gravi oneri (10). In dubio autem, an lex contineat præceptum aut monitionem, aut an liget ad pœnam, an etiam ad culpam, an ad culpam gravem vel ad levem, in his dubiis pro mitiori parte standum est (11). Secus vero in dubio, an res præcepta sit, vel ne, licita, certe tunc parendum superiori, ut dictum est *tract. I. n. 18.*

24. Deveniamus II. ad leges pure pœnales, quæ obligant (ut diximus) non ad culpam, sed ad solam pœnam, prout sunt leges prohibentes, ne arbores incidantur, ne annona abstrahatur, et alia id genus. In hoc notandum est, quod pœnæ spirituales sub pœna censuræ, irregularitatis, inhabilitatis, impedimenti matrimonii, etc. cum sunt late sen-

(5) Salm. de leg. c. 2. n. 410. — (6) Vide Op. morale. l. 4. n. 97. — (7) Ib. in 6. n. — (8) N. 9. — (9) N. 99. — (10) Vid. lib. 4. n. 47. v. Limitant. — (11) Vide Salm. de lege c. 2. n. 42.

tentiæ, et non exigunt externam executionem, statim atque patratum est delictum, incurruntur in conscientia, ante omnem iudicis sententiam, ut constat ex *cap. Non dubium, de sent. excom. et cap. Significasti, de hom.* Idem procedit de pœnis inhabilitantibus, ac de pœnis privativis aliquo jure acquirendo; dummodo reus non teneretur ad pœnam exequendam cum sua infamia (1).

25. Aliud est autem si pœna privativa est alicujus acquisiti juris, v. g. beneficii, electionis, etc., quia tunc semper requiritur sententia, saltem *criminis declaratoria*, licet in lege dicatur quod *ipso facto* incurratur, ut deducitur ex *cap. Secundum de Hæret. in 6.* Et hoc tanto magis procedit si pœna est positiva, nimirum reipsa restituendi, aut renuntiandi, aut a ud patiendi juxta leges, quæ (v. g. ob simoniam, aut alienationem bonorum beneficii) privant personas etiam beneficiis antea obtentis: nimis enim durum est, quod quis teneatur contra seipsum pœnas exequi. Excipitur solum, si pœna sit inhabilitans, sive conditionalis *sine qua non*, ut est pœna a Tridentino parochis, et canonicis non residentibus suos non faciendi fructus; vel ut est pœna imposita beneficiatis simplicibus Horas canonicas non persolventibus de non lucrando redditus (2). Hujus generis est pœna, ut privatus existat beneficio curato, qui intra annum sacerdotio initiari negligit, ut habetur, *cap. Licet de elect. in 6.*

26. Quæritur hic 1. An leges pœnales fundatæ in falsa præsumptione obligent in conscientia? Oportet distinguere præsumptionem dictam *præsuppositionis*, quæ est præsuppositum facti, a præsumptione *definitionis*, quæ est præsumptio juris, quod judicet secundum præsuppositum factum. Igitur si facti præ-

(1) Lib. 4 n. 448 et 449. — (2) L. 3. n. 163. et I 4. n. 426.

suppositio est falsa, lex non obligat; v. g. si in iudicio false probatur fuerit tuum animal intulisse damnum, tunc non teneris solvere pœnam, et lata sententia, ut solvas, licet externe, ut vitetur scandalum, teneris solvere, tamen potes occulte tibi compensationem facere. Idem valet pro hæredibus, qui ob neglectum inventarium, debita defuncti solvendo multantur ultra bona hæreditaria, cum reapse credita excedunt hæreditatem. Secus vero dicendum, si falsa præsumptio solum esset falsa *juris*: v. g. si tuum animal certe fuerit causa damni; sed falsa est præsumptio quod id acciderit tua culpa, quia tunc teneris solvere pœnam (hoc intelligitur post sententiam), quia legis finis non solum est ut puniat, sed et ut reddat homines diligentiores ad evitanda damna aliorum (3).

27. Quæritur an pœnæ conventionales appositæ in contractibus debeant solvi ante sententiam? Alii affirmant: alii negant, ut Nav. Lessius, Sanchez, Castrop, Vasq., etc., et Salm. vocant hanc sententiam æque probabilem, ex eo quia quicumque se obligat, intendit se obligare juxta legum dispositiones, quæ non obligant ad pœnas nisi post sententiam (4).

28. Veniamus III. ad modum quo observandæ sunt leges. In quo notandum 1. quod licet necesse sit, hominem esse in gratia, ut ejus opera sint meritoria, nihilominus necesse non est habere charitatem, ut satisfaciatur præcepto v. gr. jejunii, Horarum canonicarum, Sacri, etc. quemadmodum pro adimplendo voto, pœnitentia sacramentali: etenim ut docet s. Thomas (5), cum aliis communiter, finis præcepti non cadit sub præcepto: *Non enim* (sunt verba Angelici) *idem est finis præcepti, et id de quo præceptum datur.* Quare potest quis satisfacere præcepto jejunii, etiam ductus fine non recto,

(3) L. 1. n. 400 in fin. v. Quæro — (4) N. 450. (5) 4. 2. q. 400. a. 9. et 40.

puta avaritiæ, aut inanis gloriæ (1).

29. Notandum 2., ad præcepti satisfactionem esse quidem necessariam intentionem rem præceptam poni: ideo qui adest sacro sine animo assistendi, non satisfacit (2); sed dum opus præceptum ponitur, opus non est, ut velit satisfacere præcepto. Itaque si quis in die festo adest sacro, satisfacit quidem, licet ignoraret, esse festum (3); imo, etiam si sciret esse festum, et non intendere satisfacere, aut satisfaceret solo timore a patre vel a domino incusso; ipse enim quamvis peccaret ob suum pravum animum, satisfaceret tamen præcepto, illud reipsa adimplendo, dum talis satisfactio non pendet a propria, sed a superioris voluntate: quapropter dum satisfacit, non potest nolle satisfacere, et sibi debitum imponere, cui jam persolvit, uti sapienter dicunt Suarez, Lessius, Tournely, Pontius, Sanch., Castrop, Coninch., Busemb., Salmant., et Lacroix communissime cum aliis (4). Aliud contra esset, si quis habens votum, aut juramentum, aut pœnitentiam adimplendam, opus exequens non intenderet satisfacere suo debito. Hoc tamen intelligitur quoties conscientia voti etc., opus suum alteri fini destinasset, alias etiam satisfaceret: nam quilibet ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis quæ sibi libera voluntate imposuit; ita Suarez, Azor., Less., Laym., Busemb., Roncaglia etc. (5).

30. Notandum 3., bene quidem posse satisfieri eodem tempore pluribus præceptis diversis actibus compossibilibus: et sic in audiendo sacro de præcepto, potest recitare horas canonicas, aut alias orationes, quibus tenetur ex voto aut pœnitentia (6).

(1) Lib. 4. n. 162. et I. 3. n. 264. — (2) Lib. 4. n. 163. et I. 3. n. 264. — (3) Lib. 1. n. 163. — (4) N. 464. et f. 4. n. 176. — (5) L. 1. n. 163. et I. 3. n. 172. v. Quer. II adde Salm. de leg. c. 2 n. 139. (6) L. 4 n. 166. et I. 4 n. 176. v. Circa

31. Notandum 4. unico solo actu posse satisfieri pluribus præceptis in eadem materia ob eundem finem cadentibus (modo non sit in materia justitiæ). Quare in festis, diebus dominicis occurrentibus, satis est semel sacro adesse. Sic etiam subdiaconus beneficiatus unica horarum recitatione satisfacit oneri beneficii et ordinis (7). Et tunc qui duo præcepta violat, unicum committit peccatum. Secus vero, si præcepta habent diversa motiva, quare qui tenetur jejunare ex voto, aut ex pœnitentia a confesario injuncta, non satisfacit jejunando in vigilia (8), nisi pœnitentia statuta esset per mensem, in quo incidit vigilia (9).

32. Notandum 5., transgredientem unico actu diversa præcepta a diversis legislatoribus edita super eadem materia, unum solum peccatum committere, si legislatores idem habuerunt motivum; qui committeret homicidium sub excommunicationis pœna prohibitum etiam ab episcopo, unum peccatum committeret, quia tam Deus, quam episcopus habuerunt unum tantum motivum justitiæ; sic pariter sacerdos beneficiatus omittens officium (quoties vellet restituere fructus), unum peccatum committeret contra religionem; secus vero si motiva sunt diversa: hinc frangens jejunium in vigilia promissum etiam voto, duplex peccatum committit; ita etiam qui occidit clericum peccat explicitè contra justitiam ex præcepto divino, et contra religionem ex præcepto ecclesiæ, quæ ex religionis motivo prohibuit quominus in suos ministros injuria inferretur ob reverentiam eis debitam (10); cum regula generalis sit, quod cum Ecclesia aliquid statuit, sub illius virtutis specie collocat, ob cuius motivum rem præcipit (11)

in fin. — (7) L. 1 n. 166 cum Sal. c. 2 n. 109. — (8) L. 4. n. 167. ad 2. cum Salm. de leg. c. 2. n. 151. — (9) Vide Salm. loc. cit. — (10) L. 4. n. 467. et f. 4. n. 33. (11) Lib. 5. n. 33. v. Ad agnosc.

CAPUT III.

DE IIS QUI POSSUNT LEGES FERRE.

33. *Quis possit ferre leges civiles, et quis ecclesiasticas.*
34. et 35. *De decretalibus, sive responsis pontificis, et de declarationibus SS. Congregationum, ac decisionibus Rotæ romanæ.*
33. Leges civiles tantum possunt fieri ab illis qui habent dominium supremum, ut sunt reges, respública, et ceteri principes superiores non cognocentes. Reliquæ universitates subditæ possunt dumtaxat statuta conficere, quibus se obligant civitates ex contractu: sed etiam aliqua præcepta ad tempus revocabilia a principe. Hæ leges civiles, quæ bonos mores respiciunt (ut diximus), jam obligant in conscientia, ut ostensum est in opere morali, quoties non correptæ sunt expresse a jure canonico, quod vult ut observentur, c. 1. de nov. op. et c. Super, de privil. (1) Vide dicta n. 16. circa leges mixtas. Leges autem ecclesiasticæ possunt fieri a papa pro orbe; 2. a s. conciliis generalibus, modo congregata jussu pontificis, ipsiusque auctoritate confirmata sint (in nostro opere morali prolixam dissertationem lucubravit, qua ostendimus, omnes definitiones a papa ex cathedra loquente, sive Ecclesia circa fidem et mores docente, esse infallibiles; et ejus potestatem esse supra concilia, quæ totam vim et infallibilitatem non aliunde nisi ab ejus confirmatione desumunt; vide lib. 1. ex n. 110); 3. a conciliis nationalibus, aut provincialibus, nimirum constantibus ex episcopis cum suis archiepiscopis, aut ex synodis episcopi cum suis parochis; 4. ab episcopis pro sua cujusque diocesi; cap. 2. de major. etc. et c. 2. de constitut. in. 6.; sed accedente concilio suæ diocesis, ut ex cap. Quanto, de iis quæ fiunt a prælat. A quo autem episcopi habeant, (4) lib. 1. n. 406. v. Dicendum 3.

immediate hujusmodi facultatem; alii dicunt a papa; alii a Deo cum subordinatione ad papam (2). Plures alii, ut Sotus, Panorm., Abulens., Cabassut., Sanch., Pontius, Covarr., Hurt., Perez., Henriq. etc. tenent, episcopos tanta frui potestate in sua diocesi, quanta pontifex in tota Ecclesia, modo non sint de iis, quæ spectant ad Ecclesiam universalem, ut sunt definitiones circa fidem, aut res magni momenti, v. g. impedimenta matrimonii, et his similia (3). Capitula autem cathedralium nequeunt ferre leges (nisi circa propria capitula) vivente episcopo; possunt vero sede vacante (4).

34. Dubitatur hic I. An epistolæ pontificiæ, responsa sive declarationes non insertæ in corpore juris, habeant vim obligandi. Respondetur affirmative, semper ac authentice sint, prout declaratum habetur ex can. Si Romanorum, 1. dist. 19., dummodo sufficienter sint promulgatæ, ut dicit Bonacina (5) inquis, interpretationem legis factam auctoritative non habere vim legis, nisi promulgetur; quia de ratione legis promulgatio est; citatque Salas, et alios; ac deinde n. 12. sic subdit: *Ex quo licet inferre, epistolas pontificias non habere vim legis, nisi publicentur eo modo, quo publicari solent leges.* Idem ait Castropal. (6) dicens: *Debet autem hæc declaratio (pontificia) publicari ea solemnitate quæ lex, alias non erit authentica, quæ legis obligationem non habebit, sed solum erit declaratio doctrinalis.* Idem docet p. Suarez; nam, licet prius in opere de legibus (7) dicat: *Ordinarie epistolæ, sive responsa pontificia sunt potius, non constitutiva, sed declarativa; et habent vim legis obligantis ad illam*

(2) Lib. 1. n. 404. — (3) Lib. 6. n. 980. v. Sed dubit. 4. — (4) L. 4. n. 404. v. Capitula. — (5) Bon. t. 2. de leg. D. 1. q. 1. p. 4. n. 41. et 42. — (6) Castrop tr. 3. de leg. D. 4. p. 3. §. 4. n. 2. — (7) Suar. de leg. 1. 4. c. 44. n. 6.

interpretationem tenendam, vel ad servandum antiquum jus secundum illam interpretationem: deinde tamen (1) sic addit: *Ut authentica sit interpretatio oportet, ut habeat legis conditiones, ut sit justa, (nota) sufficienter promulgata etc. Unde consequenter fit, ut hæc lex interpretativa alterius exposita sit dubiis, ita ut aliæ interpretationes necessariae sint.* Idque satis confirmatur (nempe has declarationes pontificias sive responsa) indigere promulgatione, ut obligent ex eodem citato can. Si Romanorum, ubi refertur et confirmatur decretum s. Leonis papæ, et sic dicitur: *Ne quid vero sit, ut quid a nobis prætermisum forte credatur, omnia decretalia constituta tum beatæ recordationis Innocentii, quam omnium prædecessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum, promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus.* Nota illud, quæ promulgata sunt. Verumtamen hic bene advertit Roncaglia (2), quod non solum constitutiones pontificiæ, quæ solemniter promulgatæ sunt, obligationem legis inducunt, sed etiam omnes aliæ quæ ex usu et consensu ecclesiæ universalis jam a pluribus seculis habentur pro sufficienter promulgatis et authenticis. Dubitatur II. An declarationes sacrarum congregationum habeant vim legis. Prius ut certum habendum, quod decreta s. congregationis ritu putanda sunt ut oracula pontificis, ut ex bulla 74 Sixti V., qui voluit, etiam capelam pontificiam subjici mandatis hujus congregationis: ejus vero declarationes, ait Turrinus apud Merati (3), licet habendæ sint tantum ut responsa sapientissimorum virorum, attamen præferendas esse aliorum dd. opinionibus. Et merito, quia cum ex Tridentino non possint induci novi ritus nisi approbati ab Ecclesia, utique

(1) Suar. de leg. 1. 6. c. 4. n. 3. — (2) Ronc. de leg. qu. 2. c. 2. q. 9. resp. 2. — (3) Mer. t. 1. p. 3. tit. 44. ad 3 v. hujus.

sententia eorum præferenda est qui, maxime sunt versati circa ritus, et in quorum potestate est antiquos interpretari, mutare, et novos constituere, iis qui nec ullam potestatem circa hos habent, nec tanta peritia polleant. Quoad declarationes aliarum congregationum non est dubium quin in casibus particularibus, pro quibus fiunt obligent uti leges. In similibus autem, multi dd. probabiliter affirmant, modo sint munitæ sigillo et subscriptione cardinalis prælecti, et consulto pontifice, ut præscripsit Sixtus V. in bulla 74. Multi alii tamen etiam probabiliter dicunt: declarationes, licet sint maximæ auctoritatis, nihilominus non obligant, nisi sint emanatæ de mandato pontificis, et editæ sint pro tota Ecclesia, ita ut papa declaret, velle observandas esse ab omnibus fidelibus: ita Sanch., Tournely, Bonac., Vasq., Cardenas, Terillo, Vega, Villalob., Tapia, Lezana, Salmant., et Mazzotta. Ratio est (ut dicemus de interpretatione n. 73. et 74.), quoties sunt factæ declarationes ab aliis quam a proprio legislatore, sunt novæ leges, quæ indigent nova et solemniter promulgatione, juxta id quod dictum est tract. II. n. 5., quæ promulgatio non advenit declarationibus ss. congregationum (4).

35. Decisiones rotæ romanæ tanto minore robore sunt donatæ, ut leges universales habeantur. Si vero regulæ cancellariæ ubique obligent, negant Lessius, Valerius, Diana, et alii, eadem ratione, quia non sunt publicatæ; unde dicunt, valere tantum ad directionem curiæ romanæ. Sed Lacroix, Gomez, Azorius, et alii affirmant propter contrariam praxim, saltem quoad illas regulas, quarum materia est communis, aut non addicta soli curiæ romanæ (5).

(4) Lib. 1. n. 406. v. Secunda. (5) Vid. Lacroix l. 1. n. 575.